
Th XIII
19

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HYDROPE.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER-OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris
D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,
J.U.D. ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii.
NECNON
Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu,
& Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,
Publico examini ſubjicit

ERNESTUS WILHELMUS WESTENBERGH,
Benthemenſis.

Ad diem 18. *Decembr. horis locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCIII.

ILLVSTRISSIMO COMITI, ac

DOMINO

ARNOLDO MAURITIO GUILIELMO, COMITI

BENTHEMII, TECLABURGI, STEINFURTI, LIMBURGI, DOMINO RHÆDÆ, WEVELINGHOVII, HOJÆ, ALPENII, & HELFFENSTEINII, PRÆFECTO COLONIENSIUM HEREDITARIO.

Domino ſuo Clementiſſimo.

NEC NON

GENEROSISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS

COMITATUS BENTHEMENSIS, ANTISTITIBUS ET PRIMORIBUS,

VIRIS MAGNIFICENTIA & GRAVITATE CONSPICVIS.

Dominis ſuis ſumma reverentia Honorandis Colendis.

In grati animi teſſeram, ob innumera in ſe collata beneficia. Hæc Inauguralia

Dedicat & offert

ERNEST. WILHEL. WESTENBERGH, Benth. Auctor,

WELLCOME LIBRARY INSTIT

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE

HYDROPE.

THESIS I.

De hydrope verba facturus, ſolemni & inveterata ferè Medicarum Scholarum conſuetudine ductus, vocis originem ejuſque ſignificationem inquirere protinus aggredior. Affectus igitur hic, vocatur hydrops, quæ vox è lingua Græca originem trahit, ἀπὸ τȣ̃ ὕδωρ aqua & ὢψ facies: Hinc aquoſa faciei, ſeu externa ſuperficiei corporis totius apparentia illis audit Belgicè **het water**

of

of watˈrſucht. Hic morbus denominationibus inſuper diverſis gaudet, pro modo agendi & partibus obſeſſis, ut poſtmodum latius apparebit. Verum cum è nomine, nil niſi morbi effectus eluceſcat, de ulteriori ejus Etymologia & Onomatologia minus ſollicitus, ad morbi ipſius indagationem & enucleationem quantum poſſibile ſuccinctam, attamen ut ſpero ſatis claram procedere lubet.

THESIS. II.

Nominis expoſitionem, affectus hujus definitio, aut ſi mavis deſcriptio excipiet. Quoniam haud extra oleas me vagaturum duxi, ſi illam exactius delineavero, ut eò melius intelligatur quis & qualis iſte ſit morbus. Eſt ergo hydrops tumor præternaturalis ortum ſumens, à ſubacida ſeroſa ad vappeſcentiam craſſam inclinante lympha extravaſata, nunc in toto corpore, nunc in aliqua ejus parte collecta, partim ſtagnante, partim matu progreſſivo ſat magno inſtructa

THESIS. III.

E deſcriptione hacce pleraque ſigna & effecta eluceſcunt hydropicis obvia. Semper enim iis adeſt tumor mollis digito prementi cedens, ob molles flexiles & teretes aquæ particulas copioſius ibidem congeſtas. Hic autem tumor à gravidarum abdominis tumore differt, quod fœtum ſuis humoribus lymphaticis quaſi innatantem pro cauſa agnoſcat, præterea plurima alia externa ſigna differentia apparent, in diagnoſticis ulterius tradenda. Sic etiam diſtinguitur ab aliis pinguedinis incrementis & intumeſcentiis ratione

colo-

coloris, ſic in hoc morbo ſemper palliduli, ſeroſi ad cœruleum & flavum ingratum colorem inclinantes conſpiciuntur, quod in aliis non item obſervatur.

THESIS IV.

Subjectum hujus tumoris conſtituit totum noſtrum corpus, quatenus glandulis & vaſis lymphaticis obſeſſum eſt. Hæc diverſimodè à minus ſpirituoſa lympha infarcta vel obſtructa hydropem producunt. In eorum autem ſententiam abire nequeo, qui hydropis ſubjectum vaſa ſanguifera ſtatuunt, verum qua ratione inducti non video, cum luce meridiana clarius ſit, ex diſruptis venis & arteriis non lympham ſolam ſed ſanguinem etiam prodire, in grumos ſine dubio faceſcentem: Cum verò grumi tales in hydropicis non, aut ſaltem rariſſimè obſerventur, venas & arterias ſubjectum hydropis non eſſe, omnis ſanæ mentis (niſi fortè quiſpiam Tiræſia cœcior eſſe velit) facile conſpicit.

THESIS V.

Totum corpus igitur, & ſingulæ illius partes, quatenus glandulis & vaſis lymphaticis inſtructum hydropis ſubjectum conſtituit. Hoc univerſè affectum Anaſarcam producit. Varias inſuper Hydropem, ratione partis affectæ, denominationes ſortiri, hic notetur, ſic enim ſi lympha extravaſata eſt in abdomine vocatur Aſcites: In capite, Hydrocephalus: In Pectore, Hydrops pectoris &c. Sic datur hydrops uteri, ſcroti, qui alio nomine vocatur Hydrocele. Variè etiam pro loco affecto denominari poteſt, quemadmodum ſtatim in ejus cauſa ulterius patebit.

THESIS. VI.

E ſuperius propoſita definitione affectus hujus cauſa eluceſcit, quod nempe ſit extravaſatio lymphæ ſeroſæ, quæ vaſorum lymphaticorum diviſam poroſamque nimis texturam laceram præſupponit, alias enim extra limites (ſi fibrillarum nexus debitus perſiſteret, nec vaſa rumperentur) lympha ſeroſa nec aceſceret inſolito modo, nec oneri eſſet, extra canales naturales delapſa: Ubinam autem cauſa ruptionis hæreat, & quinam ſint ruptionis modi è ſequentibus colligetur. Potiſſima autem ejus cauſa ab humoribus noſtris ad acorem auſterum vergentibus, acredine attamen aliquali inſtructis petenda venit. Hi humores diverſimodè in ſua alteratione diſpoſiti, & in figura ſua vitiati, hujus affectus cauſam variam proponunt.

THESIS. VII.

Cauſa hujus converſionis lymphæ ad ſubacidam auſteram, imò ſæpius vappidam aquam, inquirenda nunc venit, & quare acredine levi adhucdum polleat differenti tamen pro hydropis diverſitate. Innumeræ autem quamvis dari poſſint, attamen præcipuas tantum hic enumerabimus, ne theſium limites anguſtos excedamus. Quotidiana experientia demonſtrat, malam victus rationem hujus affectus cauſam ut plurimum exiſtere. Homines enim diætam minus reſpicientes, & ſuo genio magis indulgentes, plus juſto crudioribus alimentis utuntur, undè chylificatione non adeó ἀκριβῶς procedente, vitiatur chylus elaboratur. Crudior hic chylus admodum depravatus cum exiſtat, ſanguini in cordis thalamis intermixtus, ejus texturam balſa-

balſamicam tollit. Hinc per circulationem omnibus microcoſmi ductibus communicatus, eorundem actionem & elaborationem legitimam deſtruit. Ideoque ſpiritus animales adeò laudabiles non elaborati, vaſa lymphatica minus luſtrant: Exindè lymphæ vappeſcentia producta, particulæ chyli crudiores, motu inteſtino ulterius gaudentes acredinis acidæ notam ſubeunt & in ſcorbuticam diſpoſitionem degenerant, tandem ob ſpirituum interceptam & inſufficientem exaltationem prorſus coagulantur & varias obſtructiones pariunt undè motu lymphæ progreſſivo retardato vel intercepto, prima Hydropis cauſa producitur; lympha enim motu illo potiori privata hic illic obſtacula inveniens, ibidem pedem ſiſtere neceſſum habet, à lympha attamen à tergo adveniente preſſa, curſum cum abſolvere nequeat, vaſa miris modis dilatat, ubi ſi diutinam moram contrahat, illa penetrat, eademque ſenſim ab omni parte ſubeundo humectat & emollit, imò ſi ulterius procedant humores in ſua preſſione oneroſa, ad diſcontinuationem illa tandem cogi debere, nemo negabit.

THESIS VIII.

Inſuper variæ præexiſtunt cauſæ hydropem inferentes, utpotè quæ omnes à fuga ſpirituum animalium & ab inverſione particlarum balſamicarum ortum unicè deſumunt. Sic Venæſectio imprudenter ſæpius repetita ſpiritus exantlat, balſamicum chylum deſtruit, aërisque moleculis ſcorbuticis acidis nimium ingreſſum concedit, adeoque humorum craſin diſturbant, prout patet in plurimis ægris Empyrico & circumforaneo more tractatis. Itidem purgatio ad nauſeam repetita, vires

vires delaſſans, ſalia ſpirituoſa deſtruens, humores depauperans, & ad acorem vappidum reducens magna hydropis cauſa exiſtit, ut paſſim cernere licet in ægris Methodo Cacatoria, ſit verbo venia, tractatis, languidam & miſeram vitam trahentibus.

THESIS IX.

Potus aquoſi nimium ingeſti, non ſolummodo diluunt & enervant ſalium actum, ſed inſuper fluidi ramoſi figuram ſphæricam tollunt, ad lentorem deducunt, & tandem vappeſcere cogunt, ad motum dein minus apti. Hinc quid de potu copioſiori Coffi, Thee &c. modernis temporibus in frequentiſſimo uſu exiſtente ſentiendum, facilè quis vis percipiet, qui obſervarit virgines in Chloroſin ſeu Leucophelgmatiam inde incidiſſe, fœtus in lucem recenter editos molles aquoſos & tumidos fuiſſe, appetitum proſtratum, acidi prædominium, actionum omnium languorem, poſt leves exaltationes præcedentes, indè ſubſequutum eſſe, &c. quæ exactè proſequi nimis longum foret. Acida præcipitantia atque coagulantia particulas ramoſas, figentia ſpiritus ſalinos, deprimentia ſua auſteritate vaſorum poros & latera, ſerum è ramoſo contextu læſo copioſius proferentia, tandemque vaſa ipſa copioſo limo infarcientia, non minimam huic morbo anſam præbent. In harum claſſem accerſendi ſunt omnes fructus horarii, olera, &c. vegetabilia acido ſucco copioſius imprægnata terreſtria, mera cretacea, conchylia, &c. reliqua appetitus depravati monſtra avidius devorata, quas non conferunt querelas ægris proprio quaſi gladio ſe jugulantibus, ubi enerves ſpiritus & planè obtuſa reddita ſalia, nil niſi aquam ſuperſtitem relinquunt limoſam, oneri poſtmodum vaſis exiſtentem.

Theſ.

THESIS X.

Sed ne quis temerè credat frigida aut humida propriè dicta ſola authores hujus morbi exiſtere, calorem & ſpiritus breviſſimè examinabimus & proponemus. Febres ardentes ex inflammatione celerrima corpusculorum oleoſorum & ſalinorum agitatione productæ, plurima concedunt effluvia, id eſt minima avulſa ſpirituoſa ſalia terris leviſſimis ſtipata, Hiſce Chaos aereum petentibus una cum æthere abripiente, deſerunt craſſiores aquas & viſcidas terras ad vappeſcentiam inertem redactas, eodem modo ut motu inteſtino validiori omnia humida agitata ſolent, aëri liberiori, aut motui igneo objecta. Hoc ulterius ſufficienter patet in Hydatidibus poſt inflammationem remanentibus, in fine Eryſipelatis, Leucophelgmatiæ, notam ſtigmaticam illi loco relinquentis, ut obſervatur è pallore & mollitie tumida illius partis, tandem etiam in febribus quartanis non rarò in hydropem terminantibus, ut & in febri Hectica, imò hydropicis febriculam denegare quis auderet, ubi motus adeſt inordinatus, pulſus inæqualis, & ſitis ingens præſertim pomeridiano tempore, præcipuè cum acredinis nota nondum plenarie deleta ſit.

THESIS XI.

Spiritus ardentes, liquores vinoſi, imo ipſa olea tenuiora diutius adminiſtrata, primo nimis fluidam & poroſam reddunt humorum conſiſtentiam, undè ætheris inſultibus maximè obedientia fluida reddita, tranſpiratio validior in lucem prodit, viæ nimis patulæ redduntur & uno verbo ſpiritus debiti ſufflaminantur

per exhalationem adauctam. Hoc vitium eò magis accreſcit ob appetitum debilitatum, indè enim ſolida non ſufficienter aſſumpta alimenta, fluidis conſiſtentiam infirmam derelinquunt, & ternuium ſalium prodigalitatem, ut ità loquar, ipſis conciliant. Illud inſuper ab acido remanente poſt fugam ſpiritus ulterius elucеſcit, poſt aſſumptos vinoſos liquores, hinc igitur omnia phœnomena in acidis deſcripta eluceſcunt, quæ repetere non opus eſt, Dantur prætereа plurimæ cauſæ, ut aer frigidior, calidior, miaſmata infinita per aërem ſparſa, animi paſſiones, melancholia, dyſenteria, diarrhoea, nimia, hæmorrhagia frequens &c. Sed hiſce diutius immorari non eſt animus, cum hæ è præcedentibus facilè explicari queant.

THESIS XII.

Differunt hydropicorum aquæ non ſolum colore ſed etiam figura, mole & motu, ut ſolent reliqua fluida. Color variat pro miſcelis quas ſubeunt aquæ in diverſis partibus ſolidis læſis. Sic in hepatis hydrope adeſt flavedo per bilioſam mixturam; in pectore magis pallet, ob viſcidam pituitam magis admixtam; in abdomine ad ſeroſum & lividum inclinat, ob auſterum acidum copioſius ibidem in ſtatu præternaturali exiſtens, &c. Figuræ & molis variatio admodum artificioſè dignoſcitur per urinas hydropicorum diverſis in partibus laborantium, toto ut ajunt Cœlo diſcrepantes in mutuis miſcelis & concurrentiis cum acido & alcali. Hiſce enim confuſis nunc hæ urinæ redduntur turbidæ, illæ confuſæ, aliæ eodem ſpoliantur. Unum hujus rei exemplum addere lubet, ſi enim hydropicorum urina lympida aquoſa igni imponatur, paulo

poſt

poſt in coagula faceſſet, (quæ acidi prædominantis ſignum exhibent) quæ tamen coagula acceſſu alcali diſparent, mira vero hujus rei naturæ myſteria, penes D. D. Jacobum Le Mortium hujus Elaboratorii Chymici Præfectum digniſſimum, in collegio privatiſſimo Chymiatrico obſervata, & autopticè à me tractata, publici juris facere conſultum non duxi, ſufficiat me & plures alios ibidem per innumera experimenta evictum, urinæ diſquiſitionem tanti eſſe ponderis, ut iis ſignis carens Medicus, media ſignorum parte privetur, Optandà ergo eſſet hujus rei perſcrutatio diligentior, quæ non ſolummodo Medecinæ Tyrones ad altiora deduceret, ſed & ſaluti ægrorum maximè proficeret, hoc enim modo Uromantiæ uſum & abuſum verum dignoſcerent Medici, ejuſque ſcientiâ perfectiori imbutis, ad morborum penetralia altius rimanda aditus pateret. Hæc autem non ità traduntur, ac ſi urinæ mera inſpectio vel confuſio &c. abſolutè & in omni parte veriſſima ſigna infallibilia traderent, talia enim in Medicina rarius dantur, ſed eam inter ſigna abſolutè neceſſaria tantum reponimus, ab ignorantibus ſollummodo rejicienda.

THESIS XIII.

Hydropis ſigna diagnoſtica eadem ferè ſunt, quæ in Cachexia incipiente obſervantur, ſcilicet torpor, laſſitudo &c. Particularis verò hydropis diagnoſis conſiſtit in pallore corporis, frigore & tumore, qui digiti prementis veſtigium diu retinet, tandem etiam in ſiti immenſa, cum magno diureſis & diaphoreſis impedimento. Interdiu malum etiam augetur, ſic circa veſperam omnium maximus apparet, noctu vero immi-

nuitur, ac matutino tempore multo remiſſior obſervatur.

THESIS XIV.

Quæ omnia ſigna præcedentia ex una eademque cauſa originem trahunt, ſic enim torpor, laſſitudo, pallor, &c. humorum vappeſcentiam præſupponunt, undè tonus viſcerum labefactatus, hujus rei ſcenam aperit.: Non tamen ex eodem fonte ſitis nimia haurienda venit, quæ potius ex inflammatione glandularum ſalivalium ortum ducere videtur, cum enim vaſcula lymphatica à viſciditatibus, particulis auſtero acidis, vel alia denique cauſa obſtructionem producere apta nata, diſtendantur, majus ſpatium hoc ipſo ſibi expetunt undè nimiùm diſtenſa, reliquis vicinis partibus oneri ſunt, particularumque ſalinarum noſtri corporis tranſitum liberum impediunt, undè particulæ ſalinæ anguſtiam viarum compenſare coactæ, inflammationem ibidem producunt, ex qua inflammatione, ſi illa circa glandulas ſalivales conſpiciatur, ſitis cauſa oritur: hoc enim motu violentioris ariditas procuratur. Eadem ratione etiam circa veſperam hic affectus ingraveſcit, ob minorem tunc temporis radiorum ſolarium luſtrationem, quo tranſpiratio ſpirituumque ventilatio impedita, lympha peccans ſeu materia morbi ſui juris reddita, majorem vaſorum diſtenſionem producendo, majorem etiam moleſtiam partibus vicinis inducit, & tunc temporis affectùs hujus inſultum auget, qui tempore nocturno mediante aliquali diaphoreſi imminuitur. Eadem etiam ratione affectum hunc quatenùs nempè effluvia corporum variam & in Macrocoſmo & in Microcoſmo reactionem producunt, pro ratione accretionis vel decretionis lunæ variare & differre, mihi veroſimile videtur.

XV.

THESIS XV.

Prognoſin quod concernit hydropem periculoſum ſatis & plerumque incurabilem eſſe morbum denunciat, præſertim ſi abdomen cum pedibus obſeſſum fuerit & ſi graviora juncta ſymptomata habeat; qualia ſunt ſcirrhus cujuſdam viſceris nobilioris, tuſſis, abſceſſus vel maculæ in cruribus erumpentes, &c. Ubi autem Leucophelymatia externum corporis ambitum occuparit, tantopere malignus hic affectus non eſt. Ubi etiam ſoli pedes intumeſcunt, poſt majorem morbum fugatum, ſignum, brevi ſolutionem illius morbi plenariam fore, denunciat, præſertim ſi febribus divexatus fuerit æger. Nihilominus tamen, ſi modo vaſorum lymphaticorum tranſverſalis ruptura non obſervetur, hunc affectum curari poſſe exiſtimamus; ſi medicamentis convenientibus in principio ipſi obviam procedamus.

THESIS XVI.

Cum igitur periculoſiſſimus ſit effectus, cujus curationis ſpes (ſi ipſi in tempore non præveniatur) non magna affulget, ipſi maturè ſuccurratur perquam neceſſe eſt, quapropter cura ſequenti modo inſtituenda eſt, ut nempe primo lympha viſcida attenuetur, incidatur; & in priſtinum ſtatum redigatur, vaſa obſtructa deobſtruentur, lympha extravaſata evacuetur vaſa rupta conſolidentur, & tandem diæta ſtricte obſervetur.

THESIS XVII.

Quibus indicationibus ſatisfaciendis, ſequens formula exhiberi poteſt.

Rec. Rad. Jalapp. ℈j.
Gum. Gutt. gr. VII.
Merc. Dulc. gr. IX.
Ol. Caryophyll. gt. I.
M. F. pulvis pro doſi.

Hiſce enim particulis viſcidis attenuatis, patienti non raro levamen maximum adferri poteſt. Deinde à propoſita ad majorem morbi averruncationem deveniendum eſt, nempe ad diuretica, diaphoretica, deobſtruentia, &c. loco deobſtruentium verò, tinctura martis aperiens cum elixirio proprietatis Paracelſi, ad gutt. xxx. bis ſeu ter de die exhibita, omnem ferè paginam abſolvit.

THESIS XVIII.

Si verò lubeat ſtatim ad diuretica & diaphoretica confugere, ſequens Medicamentum exhibeatur.

Rec. Ol: Cancr: ℈j.
Sal: Card: B. ℈ß.
Croc:
Camph:
Milleped: præp: aa. Gr. v.
Theriac: Q: S: F: bolus pro doſi.

Si vero patiens â bolo vel pulveribus abhorreat, ſequens mixtura proponitur.

Rec. Aq. Petroſ:
Roriſm: aa. ℥ij.
Sp. Carminat: Sylv: ʒij.
Oc: Cancr: Gr: xxv.
Sal Cent: Min: Gr: xv.
Ol: St: Mac:
Junip: aa. Gutt. ij.
Menth: Gutt. j.
Syrup: Rad: 5. aperientium Q: S:

Ad gratiam, M: F: Mixtura, cujus doſis ſingulis horis cochleare j.

XIX.

THESIS XIX.

Quod ſi verò hocce malum remediis hiſce minimè auſcultare velit balneationes inſtitui poſſunt, quæ è herbis, v. g. Abſynthio, Scordio, Matricaria, Mentha, Pulegio, &c. componi poſſunt, notetur vero oportet, æger dum balneationibus detinetur, ipſi inſuper cardiaca exhibenda eſſe ne animi deliquium incurrat Venæſectio hic vitetur, quemadmodum enim illa in morbis acutis & calidis maximum levamen adferre ſolet, hic lethiferum reddit morbum. Sic etiam aliquibus in uſu eſt Paracenteſis, verum cum experientia illam operationem admodum periculoſam clamet, nec morbi cauſam tollere poſſit hæc operatio, eam planè improbamus.

THESIS. XX.

Hiſce ſuperioribus Medicamentis adhibitis, diætæ regimen obſervetur, & patiens, ſi Medicamentorum felicem eventum expectare velit, ante omnia Euchymis & Eupèptis utatur, ciboſque aromaticis particulis ſalinis inſtructos eligat. Acida quæcunque & muriatica *cane* pejus & *angue* hic vitentur, ſobrie vivat, Venus moderata obſervetur, aër, quantum poſſibilè, ſit temperatus: Hiſce itaque ritè obſervatis, ſalutis priſtinæ ſpes affulgebit: Hæc tamen omnia Dei T. O. M. auxilio fulciri debent, & ut ad ſui Altiſſimi gloriam dirigantur quam maximopere nervi intendi ſunt. Hiſce diſſertationis filum abrumpens, Deo T. O. M. gratias habeo maximas, pro viribus hactenus in ſtudiis meis conceſſis.

FINIS.

HONORIBUS & MERITIS
VIRI JUVENIS

ERN. GUILH. WESTENBERGH,

Poſthabita Diſputatione Inaugurali
DE HYDROPE

In celebratiſſima toto Orbe Academia Doctorandi

Die 18. Decembris 1693.

Quid te Doctorum celebri de ſtemmate natum,
Ecquid Avum Profeſſorem, Medicumque fuiſſe
Prælarum doctumque Patrem, Fratreſque peritos,
Iuris Doctores Urbis de nomine LINGEN;
Omnia quid memorem vel Verſu hoc dicere tentem?
Sed potius GUILHELME *tuos laudare labores*
Nunc liceat, votiſque meis exprimere mentem;
Scilicet exemplis his dum commotus & Ipſe
Doctorandus ades, liceat tibi plaudere Cantu;
Et tandem liceat tibi proſpera cuncta precari.

Hæc pauca

Raptim Cecinit condiſcipulo ſuo
amiciſſimo ſuaviſſimo

JOH. PAULUS GAILLARD,
Jac. Fil. Med. Candidat.

IN HONOREM

Præſtantiſſimi Ornatiſſimi Doctiſsimique Viri Juvenis

D. ERNESTI GUILIELMI WESTENBERG

Cum in illuſtri

ATHENÆO LUGD. BATAVO MEDICINÆ DOCTOR

Publice Inauguraretur.

Lætus ad inſignes properans Vir Amicus honores
Poſcit perpetuæ pignus amicitiæ.
Macte animo illuſtrem Juvenis conſcende cathedram
Fac fluat eloquii vox animoſa tui.
Excoluiſſe juvet MEDICEN *inventa Deorum*
Hoc opus hicce labor, hæc tua cura fuit.
Æſclapium Phœbo Nymphaque Doronide natum
Artem crediderim te docuiſſe ſuam.
Quâ morbos certis dum ſcis compeſcere vinclis
Accipe quæ circum tempora Laurus eat.
Te Deus inventor MEDIGES, *te Præſes Apollo*
Te tali dignum Caſta Minerva beat.
Eja age majorum laudi ſuperaddito veſtram
Exornans duram quæ tibi ſparta data eſt.
Hoc cantare tuo me juſſit Phœbus honori
Carmen, perpetuæ pignus amicitiæ.

Amico ſuo cecinit

J. Tollius. Jur: Stud: